Ignis-aquae ac Gehennae ignis historiam atque prima tentamina dissertatione hac chymico-medica inaugurali ... / publico eruditorum examini submittit ... auctor et respondens Iohannes Guilielmus Agricola.

Contributors

Agricola, Johann Wilhelm, active 1731.
Camerarius, Elias, 1673-1734.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis A. H. Roebelii, [1731]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/pu26w4uk

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

K 10369/B

N. VII. 2
18

DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 19
COLLECTION

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30547477

10,369/B

Q. D. B. V.

68
70017

IGNIS-AQUÆ
AC
GEHENNÆ IGNIS
HISTORIAM ATQUE PRIMA TENTAMINA

DISSERTATIONE HAC CHYMICO-MEDICA INAUGURALI,

ASSISTENTE DIVINA GRATIA,

AUCTORITATE GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

DN. ELIA CAMERARIO,

M. D. AC P. P. O. SERENISS. DUC. WURTEMB. CONSILIAR. ET ARCHIATR. AC. CÆS. N. C. HECT. III.

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES LEGITIME OBTINENDI,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AD DIEM XIV. APRIL. A. clɔ lɔcc xxxl.

AUCTOR ET RESPONDENS

IOHANNES GUILIELMUS AGRICOLA,
RATISBONENSIS.

TUBINGÆ,
TYPIS ANTONII HENRICI ROEBELII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SACRI ROMANI IMPERII

REIPUBLICÆ LIBERÆ RATISBONENSIS

SENATUI INCLUTO,

VIRIS

ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS, PRÆSTRENUIS, PRÆNOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS AC PRUDENTISSIMIS,

DOMINO

CAMERARIO,

ET RELIQUIS

CONSULARIBUS

ATQUE

SENATORIBUS,

PATRIÆ PATRIBUS VIGILANTISSIMIS;

DOMINIS PATRONIS,
EVERGETIS,

FAUTORIBUS AC PROMOTORIBUS
SUIS

OBSERVANTISSIME COLENDIS,

HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DICAT,

PRO INNVMERIS BENEFICIIS PUBLICAS GRATIAS
PERSOLVIT,

MENTEM DEVINCTISSIMAM TESTATUR,

ET

PROSPEROS OMNIUM RERUM SUCCESSUS

EX ANIMO PRECATUR

JOHANNES GUILIELMUS AGRICOLA.

§. 6.

VNiverſalia, Panaceæ, Polychreſta, Arcana, Alkaheſt &c. dulcia nomina! Eridis poma! non adeo communi fato ſubmerſa ævi noſtri nova adpetentis, priſca vero exſibilantis miracula. Currit adhuc Philoſophorum Mercurius, ſplendet Ignis gehennæ, colitur Gemma roſæ, ponuntur lacrumæ Tumbæ Semiramidis ſigillatæ & Helmontii amiſſæ lagenulæ, acclamant Memnones ⊙ horizontalis crepuſculum. Afficiet ſanè non paucos Tantali fames ſitisque, ſi Lullii, Paracelſi, Baſilii, Helmontii fontes libare, ramosque totidem fructibus onuſtos ab erud. Acad. Cæſ. N. C. Dnn. Collegis Ephemeridibus ſuis paſſim inſertos prehendere incipient: Si in *Dec. I. Anni VI. & VII. App.* ſecretorum medicamentorum Cel. Cnœffelii Faſciculum, & ejusdem *Obſ. CVIII. D. I. A. IV. & V. de Alkaheſt Paracelſi & Helmontii* legent; vel P. Jo. Fabri *Scripta ad Holſatiæ Ducem, Dec. II. A. VIII. Appendici* inſerta; aut *Anonymi Tumbam Semiramidis* jam ſupra notatam *in Dec. I. A. 4. & 5. Append.* una cum adjecto Tractatu *de Auro Auræ Balduini* inſpicient, quibus *Excell. Lentilii* dè Alkaheſt jocoſum judicium *Dec. III. A. III. App. pag. 101. & Dec. II. A. VII. Obſ. CCIII. D. Hartm. Nic. Grimmii Experimenta chymica*; nec non *Archiatri Ruſſici vander Beck Epiſtola altera de Indiæ rarioribus, & præcipue de Tanzùc Sinenſium*

Actorum Volum. I. App. accedant. Mihi certe, dum ex ſingulari benevolentia atque favore *Exc. D.D. & P. Alex. Camerarii*, Patroni colendiſſimi æque ac ſtudiorum meorum moderatoris dexterrimi & prudentiſſimi, Tomos illos una cum aliis præſtantiſſimis codicibus ex biblotheca Ejus ſelectiſſima depromere & volutare benigniſſime conceſſum erat, ut attentiore animo legerem, quæ de Alkaheſt Philoſophorum paſſim occurrunt, ratiocinia calcar addidit *omnia metalla, mineralia, & ad hocce regnum pertinentia ſolvens, aliisque inſuper phænomenis admirandus liquor*, ab aliquo tempore ex benevolentia Evergetæ, cui ob à teneris in me collata beneficia, dum ſpiritus hos reget artus, obſtrictum me profiteor, communicatus, cujus vires nonnihil rimari jam perſæpe erat animus. Et excitarunt non parum hæſitantem hactenus cel. tot virorum ſententiæ, inſtar lapidis Lydii inſervientes, quo in diſquiſitione progredi liceret eo melius; præcipue dum ex altera parte ab Inclytæ Univerſitatis hujus gratioſa Facultate Medica diſſertationem inauguralem conſcribendi impetrata accederet licentia. Qua occaſione non fruſtraneum plene laborem me ſuſcepturum ſpero, ſi liquorem hunc, præſcitu atque permiſſu Dn. Inventoris ſui, publico eruditorum examini ſubjecero, anſam forte præbens ſagacioribus, ut ſimiliter operi admoveant manus, & utilitatis, quæ in illo latet, theſaurum eo felicius citiusve eruant.

Ceterum ſi in hoc niſu tenuitas animi mei non æque alkaheſticâ dubia & abſcondita quæcunque ſolvendi & in liquidum deducendi facultate pollet; ſed & aliis, quibus magis ambuſti prunis ſunt digiti, non parum, in quo ſe exerceant, relinquit, non negligentiæ, ſed materiæ gravitati atque prolixitati id tribuant, conatus tamen æqui bonique conſulant rogito. Faxit modo DEUS, ut omnia in ſui gloriam proximique emolumentum cedant feliciter!

Con-

CONstitutum apud Athenienses erat, ut in publicum proditurí & verba ad populum facturi initio statim, qui & unde sint, indicerent. Sic enim Thessalus M. Hippocratis filius in oratione sua: "*Convenire arbitror*, inquit, *qui non omni multitudini cognitus est, primum indicare, quis sit & unde sit, postea vero reliquam orationem persequi.* &c." Eundem hâc vice morem gerat & ordinem liquor noster, paucis cognitus, jam vero multitudini sistendus. Breviter ergo historiam inventionis & augmenti sui præmittendo, *quis qualisque* in operatione sua & *unde* talis sit ante omnia pateant.

Primam ejusmodi liquorem elaborandi occasionem Ann. cIↃIↃccXI. Auctori subministravit, discursus verbalisque disputatio, quam in arte chymica ceteroquin versatissimus, existentiam tamen liquoris Alkahest pernegans, ipsi contrarium asserenti moverat. Possibilitatem ejus igitur probaturus Autor, quæ passim ex conversatione Cel. chymicorum, ut & in itineribus per Belgium, Angliam & Galliam absolutis sparsim hauserat, colligit, tentat, & præterlapso triduo aquam producit, in præsentia illius Pyrotechnophili ☉. ☽. & ♂. & seorsim in distinctis phiolis, & in una simul, sine ulla pellucidatis mutatione vel ♄tione solventem, cujus solutionis fluidum per balneum abstractum in fundo reliquit lapidis instar induratam materiam, nonnisi diffracto vitro tunc eximendam, in aere libero vero in liquorem seu oleum fatiscentem, quo inargentatio & inauratio frigida institui poterat.

Pauca hæc Phænomena Inventori, ulterius ut incumbat operi calcar addidere, excitato inprimis præsentiâ & conversatione faventissima Viri in chymicis peritissimi Anno cIↃIↃccXII. ad Comitia Imperii Legati, qui aliquoties in ædibus Autoris septem metalla, ut & crudas eorum mineras, conjunctim atque seorsim solvi cum voluptate vidit, magnumque offerens præmium communicationem serio sed frustra desideravit. Post hunc alii atque varii fuere, qui & curiosa & utilia multa sub illo latitare menstruo quidem subolfecere; Sed, cum penetrare illius compositionem nequirent, alto supercilio rem istam intuentes nauci fecere, indignabundi tamen se nescire quod despiciunt. Hinc etiam in Actis Vratislaviensibus ex abortu judicii varia desuper ratiocinia!

Longe majori vero gratia affectus dignatusque fuit liquor noster

mense Majo anni subsequentis cIↃIↃccXIII. cum in personæ Principali dignitate fulgentis & concione Nobilium circumdatæ præsentia, quæcunque Principi illi inter sexaginta objecta placuerunt consumeret. Sed nec tunc rogatus Autor parefecit, in quo cardo rei versetur.

Ipse propter ingruentem nec leviter grassantem pestilentiam aliaque negotia ad tempus aliquod in virtutes hujus menstrui inquirere desiit. Donec illum cIↃIↃccXIX. die xIx. Augusti peregrinus quidam accederet, non apum more propria sedulitate mel collecturus, sed secundum illud Virgilii

—— *Sedens aliena ad pabula fucus.*

qui blanditiis, precibus, donisque etiam invito obtrusis, effecerat, ut Autor in ejus gratiam liquorem suum, aliis licet obrutus negotiis, elaboraret, atque illo præsente viginti circiter diversissima objecta penitus solveret, reliqua adproperante vespera in crastinum differens; Sed tunc jam sibi sapere visus hospes persuasusque, se furtivis liquoris nostri degustationibus & odoramine, quidquid in illo lateret arcani, naso labiisque insuxisse, tempus sumptus itineris, quasi ex hac ratione id suscepisset, dolere incipit, rem contemnere, obloquutorem agere, & contra veritatis lucem undique negare, quod ipsus viderat, tandem dona sua reposcere.

Quid Autor noster? Reddit ingrato quod coactus acceperat, memor Guil. Alardi Epigramm.

Nil homine ingrato pejus reperitur in orbe.
Dixeris ingratum dixeris omne scelus.

Ast ne pressa hac ratione veritas penitus succumberet, statim die xxIV. ejusdem mensis in duorum Illustrium artis chymicæ Curiosorum & Notarii publici præsentia singula illa objecta, quæ ingratus ille hospes soluta viderat, & adhuc plura in liquidum commutat. Hæmatites tamen nescio quo fato tum solvi non poterat, & liquorem hactenus clarissimum turbaverat, pedem fixit hinc Autor solutionibus, & inexpectatus finis operi coronam si non abstulit, tamen dubiam reddidit. Sed ad breve tempus. Compendiosa enim præparatione & adaptatione non solum hæmatites, sed & postea per plura alia subjugata fuere a solvente nostro liquore, ipseque in illum perfectiorem statum redactus, in quo nunc versatur.

Sta-

Statum vero præsentem & novissimam aquæ solventis hujus conditionem nec dilucidius describere, nec firmius me probare posse, mihi persuadeo, quam si partim ad supra laudatum Cel. D. D. *Camerarium* αὐτόπτην, in cujus ædibus ante paucas septimanas Pontinæ hujus experimenta, quantum temporis locique & apparatûs ratio permiserat, instituere, & inde perspecta phænomena adnotare benignissime mihi concessum erat, provocem, partim vero quæ mihi ex novissimis Dn. Auctoris litteris transcripta sunt, in compendio huc transferam.

Injeci nempe liquoris unciis circiter duabus

I. Limaturam *Saturni*. Factum hoc absque omni vel turbatione vel mutatione, scobe modo tenui ad fundum cito subsidente. Inde videbantur aliquot aëris bullulæ majusculæ; post, liquore sensim super prunas incalescente, quasi quædam nebula; tandem copia bullularum minimarum, collectam modo nubem recta sursum tendentem representantium, ascendere. Hæ bullulæ non diffundebantur per liquorem universum, sed ex fundo phiolæ recta sursum instar columnæ volitabant, nec liquorem turbabant quidquam, nisi quod hic magis flavesceret, ceterum limpidus & coruscans. Nec de ramentis plumbi quidquam conspiciebatur moveri suo loco, sed jacere omnia quiete, donec aliquando nimis incalescente vitro bullularum adscensus fortior fieret, & quasi ebullire liquor inciperet, quo tempore elevari quædam particulæ metallicæ, mox tamen ad latus iterum quasi recumbere vel subsidere; sed tum novus bullularum cylindrus ex iisdem sursum vehi cernebatur, usque dum dissoluta penitus fuerunt omnia. Dum hæc peraguntur, menstruo & vitro sic incalescentibus, comparent in summo phiolæ, supra liquorem, nebularum quasi fluctuantes undæ, ad vitrum mox in guttas cogi visæ, & juxta phiolæ latera partim, reliquæ vero per superimpositi alembici rostrum tarde depluentes.

II. Scobem *Jovis*. Hæc à priori distincta vix ac ne vix quidem dedit phænomena, ne liquore quidem quoad colorem mutato, multo minus ut præcipitari quidquam deprehenderetur. Videbatur quidem celerius procedere & absolvi hæc solutio, sed in liquore jam bene calente, dum plumbum ipsi adhuc frigido fuerat injectum.

III. *Martis* alkohol. Hujus portio perexigua primo in fundo permansit, reliquo omni partim in summo liquoris hærente, partim propter adpensam aeris bullam, quam superficiei menstrui illapsa secum duxerat limatura, adscendente. Sed paululum concusso vitro rupta est aeris bulla, & ad fundum subsederunt penitus omnes martis particulæ, quo facto consuetus bullarum adscensus incepit, & ad omnimodam usque metalli evanescentiam continuavit. Hac unica cum differentia, quod sub medio solutionis fortissimæ martis portiunculæ interdum dispersæ vel projectæ, aut explosæ totidem minimarum bullularum radios, huc illuc actos jucundo spectaculo, repræsentaverint, instar quasi totidem parvulorum pyrobolorum per liquorem excurrentium.

IV. *Veneris* limaturam. Hæc uti plene & facile ad fundum delapsa, ita statim ex suis granulis minimis bullularum columna illico elevari cœpit, & ad plenariam usque solutionem perrexit, liquoris colore qualis hactenus manente nec viridescente, nec de pelluciditate quidquam amittente.

V. *Mercurium* cum Stanno in amalgama redactum. Ab hoc notari merentur tria. *Primò* bullulæ adscendentes apparebant paulo majores ac præcedentium metallorum. *Secundò* amalgama illud nitidum argenteum brevi videbatur nigrescere. Neque verò longe ita post *tertiò* ex improviso pultaceum hoc amalgama in metallicam Mercurii formam transmutari, & egregiè splendens globulus mercurialis in fundo visus est, ex quo postea aucto liquoris calore copia minimarum bullularum ascendere, ipse vero pro rato imminui, atque tandem successive totus solvi & evanescere cœpit, nitido splendore illo sub finem remittente. Hujus tamen solutio tardius processit ac reliquæ omnes.

VI. *Lunæ* foliatæ portio injecta, utut cum araneæ tela teneritudine certans, fundum tamen petiit, brevique temporis spatio insensibiliter consumta disparuit.

Superinjecta vero Lunæ limatura mox pristinum bullularum ascensum usque ad plenariam consumptionem dedit. Neque nunc quidem liquor mutatus, sed luteolus ut antea.

VII. *Auri* modice bracteati lamella fundum injecta vix attingens, præ bullulis aeris ipsam undique cingentibus albere visa, feliciter porro solvi,

ſolvi comparuit. Notari hic in tranſitu meretur, aurum ferè omnium citiſſime fuiſſe ſolutum, non ſaltim ac ſi minimâ omnium quantitate fuerit ſumptum, ſed & vera temporis proportione.

VIII. *Cinnabaris nativa* pulverisata & immiſſa, quoad maximam partem liquori ſupernatavit, & quæ fundo immerſa portio incaleſcente menſtruo mox ſuperficiem petiit, ibique cum reliqua parte tam diu perduravit, donec penitus abſorbta fuerat.

IX. *Antimonium* crudum imam vitri regionem ſtatim occupans bullulis cinctum erat majoribus, quibus intermiſcebantur minimæ, inſtar nebulæ adſcendentes, quæ brevi tempore effecerant, ut antimonium evaderet colore citrinum, & ad limbum liquoris à veſiculis adhærentibus raptum tamdiu ibidem nataret, usque dum plane diſparuiſſe viſum eſt.

X. *Marcaſita* illapſa ſtatim ſubſedit & nigrefacta bullularum columnam erigens, in totum tandem evanuit, ne minima viſibili ſuperſtite particula. Sic neque liquoris pulchritudini detractum eo quidquam.

XI. *Arſenici* portiunculæ bullulis circumdatæ majoribus, in calente liquore ſtatim qs. ſaltare, ſurſum deorſumque moveri cœperunt, ritum hunc tamdiu ſervantes, donec nil amplius ſupererat.

XII. *Auripigmentum* ſimilia cum priori exhibuit phænomena.

XIII. *Cobaltum* ſemper in fundo perdurans bullularum rurſus diverſam edidit ſpeciem, majorum atque minorum, & antequam penitus ſolutum erat, colorem mutans quaſi in vitream ſubſtantiam tranſiit.

XIV. *Magnes* præparatus menſtruo vix injectus illud nonnihil obfuſcavit, brevi tamen in fundo phiolæ collectus minimarum bullularum erexit trabem, liquore priſtinam pulchritudinem recuperante & ſervante. Et huic prorſus ſimilem in ſolutione ſe geſſit

XV. *Hæmatites* præparatus; Niſi quod majus temporis ſpatium pro conſumtione ipſi concedendum erat.

XVI. *Talcum* & XVII. *Alumen plumoſum* diu in calentis liquoris margine permanſerunt, ita tamen, ut particulæ illorum magna bullularum copia fuerint circumdatæ, poſtea vero fundum & quidem conſtanter tenuerunt, nec ullo modo ad aſcenſum ulterius vi ignis cogi potuerunt, usque dum penitus ſolvebantur.

xviii. *Sulphur* crudum in ſolutione exhibuit bullas magnas, quæ in ſuperficie liquidi ſuſpenderunt ejus fruſtula, nihilominus ſucceſſive imminuta, atque tandem, licet paulo longiori temporis tractu, plenariè tamen ſoluta.

Poſthæc progrediendo ad illa objecta, quæ ex prioribus, igne, artificioque ulteriori aliam nacta ſunt formam, injeci

xix. *Minium.* Hoc vix liquorem tetigit, quin ruber ejus color in ex fuſco & gryſeo variegatum tranſiret, & poſt brevem minorum bullularum adſcenſum oculis ſe ſubduceret, menſtruo nullatenus alterato.

XX. *Lithargyrium*, ad ima ſubſidens, & tempore & modo ſolutionis vix diverſa à priori exhibuit phænomena, niſi quod in colore tantum magis albeſcere viſum fuerit.

xxi. *Ceruſſa* intromiſſa liquorem albedine nonnihil tinxit, ſed calefacto magis illo totaliter ſoluta eſt, tincturaque illa brevi omnis evanuit, nec frigefacto vitro rediit.

xxii. *Orichalcum* & xxiii. *Æs collectaneum* ſeu Caldarium cum Venere (§. IV.) convenerunt, poſterius tamen tardius ſolutum eſt priori.

xxiv. *Viride aeris* ſtatim poſt injectionem phiola leviter concuſſa diſparuit, liquorem tamen ad tempus dilute viridi imbuens colore.

XXV. *Mercurius ſublimatus* corroſivus ſubſedit ſtatim & bullulis majoribus obſeſſus intra breve tempus viſui ſe ſubtraxit.

xxvi. *Mercurius præcipitatus* ruber in ſummo menſtruo, antequam fundum attingeret, cum parvo ſtrepitu ſubjugatus eſt.

xxvii. *Vitrum Antimonii* ut & xxviii. *Crocus metallorum*, ambo pulveriſati, in baſin phiolæ deſcendebant ac cito & plenarie ſolvebantur.

xxix. *Reguli antimonii* injecta ſcobs, fundo immerſa & ſolvi incipiens, nihil præ præcedentibus plerisque objectis peculiare exhibuit, niſi quod citato bullularum adſcenſu citius conſumebatur quam metalla, nec flaveret ut Antimonium crudum.

XXX. *Cinnabaris antimonii* non pulveriſata deſcenſu & adſcenſu fruſtulorum arſenicum imitata eſt, quin & bullularum magnitudine & duratione.

Hactenus expoſitis Salia ſubjunxi, ex. gr. *Saccharum*, *Sal commune*, *Vi-*

Vitrioli ſpecies, Nitrum, Borracem, Tartarum, Alumen, Sal ammoniacum, Lapidem prunellæ, Cineres clavellatos &c. Quæ omnia ſine turbatione liquoris vel præcipitatione in integrum ſoluta, non alia quam conſueta exhibuerunt phænomena.

Quid quod *Adamantem, Rubinum, Hyacinthum, Smaragdum, Sapphirum, Cryſtallos, commune Vitrum, Fel vitri, Alabaſtrum, Silicem, Oſteocollam, Ætitem, Pumicem, Porcellanum, Chalcitem, Ceraunium, Judaicum, Calc. viv.* aliosque lapides, certo modo præparatos, ab hoc noſtro menſtruo, quantumvis prioribus omnibus jam dum gravido, æque tamen feliciter adhuc & expedite ſolutos pronuper demum vidit, atque in majorem experimenti fidem ſcripto quoque teſtatus eſt, cum in itinere ſuo literario Dn. Auctorem aliquoties inviſere dignaretur, Vir non eruditione modo ſcriptisque, ſed & converſationis ſuavitate, atque animo ad curioſa quævis adtentiſſimo etiam hic Tubingæ adhuc Celebris Dn. *Joh. Georg. Keyslerus*, Societatis Regiæ Londinenſis Membrum.

Extendi poſſe vires menſtrui noſtri etiam ulterius ad Regnum tam Animale quam Vegetabile demonſtrant *Margaritæ, Corallia, Mater perlarum, Dentes Hippopotami, Lapides cancrorum, Duelech, Bezoar, Charta, Carbones, pili, ſetæ, corium, paleæ* ſolutæ. Quin per alembicum deſtillato ſi vini ſpiritum addas, *Gummi-reſinis* & *Aromatibus* recludendis ſolvendisque adaptatur.

Sed ſatis pro inſtituti ratione de liquore noſtro ſcriptum puto, quod ejus ſolvendi attinet potentiam. Id ſaltem ſubnecto, ob temporis brevitatem & evitandum diſpendium, in parcâ doſi injecta fuiſſe objecta ſingula, nec tamen ideo ſuſpicionem habendam eſſe, ac ſi ſeorſim & in quantitate liquori tradita objecta minus, vel difficilius, vel cum aliis circumſtantiis ſolvantur. Vidi certe Dn. Auctorem hujus menſtrui æque felicem, in copia cum pararet ſibi ſolutiones ſuas, ac dum compendioſa phiola opus ſuum abſolveret. Attamen fatendum eſt, nonnulla corpora peculiari enchiriſi opus habere.

Jam vero pedem ad proponenda reliqua promoveo. Poteſt nempe ex quocunque hac ratione ſoluto objecto *lapis* vel materia dura confici; nunc hujus nunc alius, coloris, qualitatis & adfectionis, quatenus vel ſeorſim & ſolum, vel multa paucave alia una cum illo ſoluta ſunt. Quin

imo omnia hactenus recensita objecta unum, & quoad externam faciem, homogeneum dant lapidem, in quo omnes solutorum corporum particulæ reconditæ, & nonnisi in externa forma mutatæ deprehenduntur.

Rediguntur autem soluta in lapidem fundo inhærentem, destillando menstruum super alembicum ignis moderati regimine. Ubi supervacuum credo, colorum diversorum syllabum hic adnectere, variant enim quam diversissime, nec tamen adeo multum ad rem contribuunt.

Hunc in modum constructus lapis vix nisi diffracto vitro potest eximi. Si vero in cellam per aliquot dies, vase aperto reponitur, totus fatiscit, indiesque magis vertitur in fluidum, quod secundum receptam à longo tempore consuetudinem oleum vocari consuevit.

Sed antequam de eliquato hoc lapide plura proferam, prius adhuc de solido ipsius statu notare pauca liceat: Quidquid à menstruo solvitur, etiam in talem lapidem redigi potest. Deinde lapis ille liquori denuo injectus sine ulla reactione facillime solubilis & rursus per abstractionem reducibilis est. Tertio lapides præcipue, si ex seorsim & singulatim solutis metallicis corporibus componuntur, rara in igne exhibent phænomena. ex.gr. Si ex soluta Venere paratus lapis crucibulo tecto inditur, & inter prunas, ut probe rubescat tigillus, reconditur, ex improviso flamma prorumpit luculentissima, viridissima, rapidissima, oculis intolerabilis, ut prunarum ignis quasi deliquium pati, fatiscere, vel extingui videatur præ fulgore hujus alterius. Vocavit ergo Autor flammam hanc *Ignem Gehennæ*. Reliquorum metallorum lapidibus eadem est conditio; Solis lapis purpuream; argenti & mercurii albidissimam; martis croceam &c. evomit flammam, apertus crucibulus autem fere vacuus est, vix vestigia lapidis pauco relicto sale & fuligine servans.

Nec alia colorum diversitas, (si solis oleum excipias, quod citrinum est,) in oleis observatur, quæ post primum in aere deliquium turbida, iteratis vero evaporationibus & resolutionibus limpida comparent, non relicto sedimento. Gustata linguæ præter ustionis, etiam salsedinis cujus-

jusdam, ſed peculiaris, atque pro metallorum conditione, adſtrictionis & ſiccitatis ſenſum imprimunt & relinquunt.

Olea hæc ſive invicem commiſceantur, ſive menſtruo ſuo abſtracto, ſive novo liquori inſtillentur, neque reagunt, neque turbantur vel turbant. Cum ſpiritibus ardentibus aut ſpiritu ſalis ammoniaci unita, ſuavitatem quandam & colorem plerumque ſpiritui largiuntur. Aquæ ſimplici deſtillatæ immixta lacteo illam imbuunt colore, & tarde ſedimentum, pro ratione coloratum, deponunt, quod vero non adeo facile contingit, ſi aqua ſaccharo cando ſaturata & edulcorata eſt.

Supereſt quid in metalla agant olea illa, præcipue metallorum, patefacere. Solis oleum orichalci vel veneris laminæ illitum, hanc leviter modo calefactam, ut humiditas omnis abigatur, atque ſale communi deterſam, ſiſtit ex tempore deauratam nitidiſſime. Pari modo lunæ & mercurii oleo inargentationem, alteram conſtantem, alteram tranſitoriam; Jovis oleo inſtannationem, ut ita dicam; Veneris oleo faciem Martis cupream obtinebis. Et ſi ſublimare metalla ſatagis, inſtilla floribus ſalis ammoniaci, per ſolutionem paratis, metallorum olea guttatim, ſic Solis oleum purpureum; Lunæ & Mercurii album; Martis, ut ſolet, croceum; Veneris viride; Jovis & Saturni gryſeum mediante igne dabunt ſublimatum, & hoc cum plerisque reliquis pariter procedit.

Reſtarent quamplurima, imprimis quod ad metallorum poſt ſublimationem deſtillationes, vel lapidis ad *abſumendas cancroſas* corporis *partes* utiliſſimi præparationem, vel uſum pictorium attinet, quatenus ad tabulas eburneas pulcherrime & conſtanter tingendas pingendasque colores & tincturas exhibet diverſiſſimas &c. Sed hac vice nondum expediri poſſunt omnia, occaſioni cuicunque meliori reſervanda. Trigam tamen quæſtionum hic me vix declinare poſſe ſentio. Prima earum eſt: *Quisnam igitur, qualis & unde ſit hic noſter liquor?* altera: *Quo jure mereatur prædicatum iſtud, ut videtur, paradoxum in titulo diſputationis ipſi datum?* Tertia: *Quibus tandem uſibus inſerviat? Num aliqua etiam in ægrotos inde derivetur utilitas?*

Quod igitur concernit quæſtionem primam, hujus reſolutionem ſic adornare teneor, ut juſto tamen Evergetæ deſiderio ſimul ſatisfaciam.

Scilicet Inventor hujus menſtrui compoſitionem atque præparationem ejus propalare vel triviis omnibus exponere, atque adeo præmanſum quaſi bolum faucibus oſcitantium ingerere, nondum vel neceſſe vel conſultum eſſe totus reputat, adeoque plenariam arcani publicationem hactenus modeſte deprecatur, deſcribere tamen nihilominus, atque vivis, quod ajunt, coloribus illum depingere neutiquam veretur, eoque ipſo Pyrophilos curioſos ad tentamina iſtius modi pyrotechnica inſtigare, quam ex inventione nova vanam laureolæ gloriam captare mavult.

Scias igitur *Lector*, quem præſtolamur, *Benev.* liquorem noſtrum eſſe totum limpidum, odore ac ſapore admodum penetrantem, absque tamen ullo virium ſuarum diſpendio per longum ſane temporis tractum facile aſſervandum, ex duobus maxime principiis, *ſale* nimirum *mercuriali* atque *ſpiritu* catholico panchreſto, ſine multo artificio haud difficulter parabilem, atque poſt centenas licet corporum diverſiſſimorum ſolutiones toties abſtractum, ſolvendis tamen iterum novis corporibus nihilominus idoneum.

Ceterum ad declarandam ſpecialius materiam ejus liceat tantiſper mea facere verba acutiſſimi D. D. *Cohauſen*, cujus *Helmontium Ecſtaticum* nuperis auctumnalibus nundinis opportune ſibi comparavit, & benevole mihi communicavit ſupralaudatus *Exc. D. D. Camerarius.* Ita autem ille ſub finem præfationis *in Diſſ. pyrotechn. curioſ.* quam calci operis pro ſupplemento ſenſationis ultimæ Helmontianæ adjunxit: " *Argentum vivum*, inquit, *vulgi*, *neque in ſua ſubſtantia*, *neque aliquid ex eo*, *quomodocunque id audiat*, *ſive primum ens*, *ſive natura media*, *ſive ſpiritus aut aqua*: *eſt materia in vel ex qua*, *proxima vel remota*, *liquoris Alkaheſtini.*"

Quibus addo quædam ex *Helmont. Tract. de Poteſtat. Medicamin.* §. 24. " *Summus atque feliciſſimus ſalium eſt*, *qui ultimam puritatis & ſubtilitatis metam in natura attigit*, *cuncta pervadit*, *ſolusque agendo manet immutabilis*, *quique alia pro lubitu promptâ reſolvit obedientiâ*, *rebellemque omnem materiam non ſecus atque aqua calida nivem liquat & volatizat.*" Sed hæc ſufficiant.

Ad

Ad Quæstionem alteram responsionis loco habe, quæ in *Helmontio* suo *Ecstatico* modo citatus *Cel. Cohausen Sect. I. pag. 21.* scribit. "*Liquor iste, dicitur IGNIS, quia igne fortius urit & calcinat, unde & appellationem IGNIS GEHENNÆ accepit. Philosophi dicunt: Vulgus per ignem cremat nos per aquam. Dicitur AQUA, quia in statu actualis fluiditatis est instar aquæ, omnia resolvens, & finaliter reducens in aquam elementalem: Dicitur IGNIS-AQUA, ut nempe hæc duo essentialiter differunt, sic differenti & genuino vocabulo exprimuntur, verum ex his arte conjunctis in hoc liquore factum est unum inseparabile, quod proin utriusque nomine connexo designatur. De quo illud in Museo Hermetico:*

Ignis, aqua & fluitans duo sunt contraria, felix
Jungere si nosti, sit tibi scire satis."

Ubi tamen & hoc ingenue fatendum est; de nostro quidem liquore nondum affirmari posse, quod de suo quondam alkahest prædicaverat Helmontius. Scilicet objecta, dum solvuntur, ita per liquorem nostrum disperguntur, ut æqualiter ipsi dixeris misceri, & per ipsum undique diffundi, dum tamen Helmontius ista cum liquore solvente non permisceri, sed in peculiarem & distinctum liquorem cogi & transmutari ubique fere testatur. Sic nempe *Tr. de Complex. atque Mistion. Elemental. Figmento*, §. 27. dicit: "*Novi aquam (quam manifestare non libet) cujus medio omnia vegetabilia in succum destillabilem, sine ulla sui in fundo vitri residentia commutantur* &c. Et in sequenti §. 29. "*posui carbonis quercus, & aquæ cujusdam, partes æquas in vitro hermetice clauso, spatio tridui, totus carbo versus est tepore balnei in duos liquores diaphanos fundo & colore varios.*

Quicunque ergo in locis his citatis Alkahest sub vocula AQUÆ intellectum credit, & verba statim subsequentia: *Liquor vero solvens manet in fundo paris ponderis sibi & virium*; aliaque loca ubi passim alkahest, non destillari posse, sed semper in fundo hærere asserit, accuratius ponderat, certe illius ab aliis menstruis diversam actionem perspicue deprehendet.

Atque ex illa ratione non procul à scopo esse sibi persuasit duorum potentissimorum quondam Poloniæ Regum cel. Archiater *Cnœffelius*, de

cujus alkahest *in E. N. C. Dec. I. Ann. VI. & VII. append. inter medicamenta ejus secretiora Tit. XXVII. pag. 194.* plura legenda occurrunt. Quatenus nempe triplicem liquorem ad tria naturæ regna sibi comparavit, quo omnia objecta in sua tria principia resolvere; resoluta spiritu vini extrahere, & tunc post illas operationes alkahest suum intaminatum rursus & ad eosdem usus aptum obtineri posse, asseruerat.

Quemadmodum vero meum non est, alienis memet immiscere, vel lites istas dirimere: num Paracelsi *specificum corrosivum*, Helmontii *alkahest*, Hermetis *Aquina forma pontica elementa dissolvens*, aliorum *Mercurius Philosophorum* sit unum idemque? Atque etiam, num revera existat, vel existere saltem possit, menstruum istiusmodi universale alkahestinum? &c. Quum de his, atque pluribus aliis huc apprime facientibus, & de aureo illo vellere sollicitos, deque ejus lana adeo certantes Jasones, ablegare omnino malim ad disputationem illam pyrotechnicam, jam semel atque iterum laudatam, ut ipsi judicent, quo cum fundamento ibi possibilitas ejus probata; dubia discussa; materia, usus & excellentia ejus descripta; Mercurius vulgi vero, qui hactenus ad tabem usque philosophis salivam movit, relegatus, & ex ingredientibus liquoris alkahest exterminatus sit? adeo ut *Mercurius* in anagrammate jam suis tortoribus objiciat: CUR ME URIS?

Ita pedem nunc promoveo ad quæstionem tertiam, magis practicam, & circircumspicere incipiam, *quibus usibus* hæc omnia inservire possint? Concedam, curiosum saltim videri, omnia metalla ab uno menstruo solvi, nec præcipitationem consuetam per metalla vel per salia, sicut in aqua forti vel regia, contingere. Interim tamen non parum eo firmatur eorum sententia, qui non solvenda, sed solvens reactionis causam esse volunt, nec active illa se gerere contendunt. Quam hypothesin mordicus etiam *Helmontius* defendit, variisque exemplis illustrat. *Tract. de Ignot. Action. Regimin.* §. 11.

Deinde Mercurii ligati phænomenon Problema subministrat: Annon hac ratione Mercurius vivus optime & facili negotio purgari, eoque ad Barometra construenda maxime idoneus reddi possit? Mercurium enim

præ

præ reliquis plerisque metallis diutissime à Menstruo intactum relinqui experientia docuit.

Tertio, universalis hæc metallorum solutio multa inermat chymicorum argumenta, quibus acute rationes depingere studuerunt, propter quas Sol & Luna diversas claves postulet? Ubi eorundem præcipitationis leges? quæ procedunt juxta tritum illud: Magis dilectus. Tertius interveniens. Cede majori. &c. Non vacat tamen hac vice talibus immorari diutius, se ad usum magis medicum properare, & quomodo ægrotantium commodis hic liquor noster inservire possit, vel digito saltim indice ostendere.

Non enim ex. gr. cum officinalibus ex *auro* præparatis adeo contenti hactenus fuerunt Medico-Chymici, quin potius in novissimo *Actorum N. C. Volum. II. observ.* CLXXI. *Excell. D. D. Mingius veram*, ut vocat, purpureamque *solis extractionem* publico communicaverit & commendaverit.

Fuerunt ab omni pariter tempore, qui Israëlitarum compotatores evadere sategerunt. i. e. *Aurum potabile* sorbillare, sibique parare omnibus nisi sunt viribus.

Ita *Helmontius Tract. de progymnasmate Meteori.* §. 6. Aurum in forma olei punicei per retortam destillat, sed inde rursus præcipitari & reduci posse asserit.

Etmüllerus in *Comment. ad Schrœd.* Tit. de Auro potabil. refert. Paracelsum Aurum volatilizando & irreducibile reddendo, vinique Spiritu tincturam ejus extrahendo, parasse suum Aurum potabile. de quo Libr. VI. *de resuscitatione rerum naturalium pag. m. 896.* consule.

Attentionem quoque meretur, quæ in E.N.C. Dec. I. Anno III. & IV. *App.* pag. 145. à *Chr. Ad. Balduino de Auro auræ potabili* Cap. X. notantur, "ubi *gustatum, salsedinem aliquam linguæ imprimere*,, & §. 2. scribit: " *Pari ratione Aurum ex auri inferiore, seu nitro nostro fieri potabile pot-* ,, *est.* (*Si scilicet Alkahest in summam rubedinem per se figas, aut initio sta-* ,, *tim cum Auro metallico purgato conjungas, inque perficias lapidem*) *quod*,, *in omnibus liquoribus* Medicinæ *in usum solvi posse non hodie demum credi*,, *cœpit.*,,

Aures

Aures etiam titillant, quæ de insipido Auri menstruo *Agricola Comment. in Popp. Tr. de Auro pag. 22. Laurenberg. contr. Salam aphor. 5. & Bartholetus L. V. de Respirat. cap. 3. pag. 413. nec non Zwelfferus in Mantiss. Hermet. pag. 331.* legenda tradunt. Quorum posteriores duo ex Lapide Lazuli & Marcasita solvens tale extorsisse referunt. Ut taceam Auri potabilis Londinens. cum aqua regia, vel cum Spiritu Vitrioli Philosoph. spiritu mannæ, oleis aromatum destillatis præparationes, item quas *Jungken in Lexico suo chymicopharm.* pag. 51. cum spiritu & sale fixo urinæ, vel nitro, alumine, sale communi & spiritu vini ad modum *du Febure* tradit. Quibus subjungi potest illa casualis cum lapide calaminari tincturæ solis productio, cujus in *Dissert. Inaugurali* sua *de Acidulis Teinacensibus* Clar. D. D. *Gmelinus* Fautor & amicus mihi æstimatissimus Cap. IV. §. 73. mentionem fecit.

Ast quis modos singulos, mediaque, quibus in concoquendo liquore adeo amabili tot desudarunt æmuli, narrabit? Vana forsan spe delusi sunt illi, qui spiritu nivis, sale cranii humani, capillis, fimo columbino, aurium excrementis &c. aurum ad potum adaptare studuerunt.

Egit fusius de auro potabili *Andreas de Blawen* in Epistola ad *Matthiolum*, quam vide in Lib. IV. pag. 175. *Epistol. Medicin. Matthiol. Dioscoridi annexarum*, & ope olei salis optime illud parari posse experimentis suis probare annititur.

Omnia vero vota collegisse & selegisse videtur jam toties nominatus D. D. *Cohausen*, qui in tractatu suo de *Revisa Potest. Medicaminum Sect. II. p. 65.* ita concludit: "*Genuinum aurum potabile, quale dari nemo nisi Misochymi-*
„*cus inficiabitur, non est nisi Aurum tota sua substantia, (non autem abstractione*
„*tincturæ putatitiæ) in peculiari suo salino menstruo permanente radicitus solu-*
„*tum, ut in omni liquido instar salis aut sacchari solvi, & solari sua essen-*
„*tia, calore, colore, puritate, & vitali volatilisata virtute penetrantissima*
„*per vasa lactea ad sanguinem, imo per universi corporis permeabilis ac transpirabilis tubulos minutissimos deportari possit.*„

Quibuscunque vero hæc recensita aurea nectara nec ad manus nec ad palatum sunt, nostrum gustent, vel tentent, si placet Aurum

pota-

potabile, quod compendiose ex oleo solis cum spiritu vini vel salis ammoniaci paramus, & fulva atque aurea naturali sua tinctura gaudet. Non pauca pariter de illo monenda essent, præcipue, quantum jam ab aliquo tempore Autori præstiterit usum, sed hæc ad aliam occasionem tempusque reservari volunt.

Addo potius *Lunam potabilem*, eundem in modum parandam, melioris forsan notæ tutiusque remedium quam Sapphirinæ, cœruleæ fucoque meretricio exornatæ tincturæ lunares ex vitriolo, calce vel scobe argenti cum spiritu salis ammoniaci paratæ, merito à Clar. *Rockio* in Diss. de Chymiatria superstitiosa explosæ. vid. *Jungk. Lex. Chym-Pharm. Schrœder. Lemery* aliosque de tincturis lunæ.

Auget etiam, sed dubito, an præter necessitatem, numerum medicamentorum martialium, nostrum *Martis* oleum, guttatim vel in Elæosaccharo, vel cum spiritu vini, vel aliis exhibendum. Ubi Lectori Benevolo decidendum relinquo: Utrum præstet semper martis partiales & superficiales tincturas, vel D. *Ludovici ex Vitriolo martis in E. N. C. D. I. A. III. obs. CCL. pag. 453.* ad atrophiam adeo laudatam, vel *Zwelfferi*, *Ettneri*, aliorumque in usum vocare; An vero martem in totum ope liquoris per deliquium parati dissolutum, & in oleum croceum diaphanum redactum, dare?

Manet profecto martis illud oleum corticis peruviani in debellandis febribus, ictero, aliisque morbis fidelis commilito. Qua occasione non possum abs me impetrare, ut silentio præteream, quâ cum voluptate recentissime editam etiam Cel. D. D. *Cohausen Exercitationem medico-practicam de usu & methodo rationali, solida, certa & secura Corticis Peruviani &c.* legerim; non enim solum hujus febrifugorum maximi Imperium longe ultra febres intermittentes extendit, sed & ejus in Ictero præstantiam Cap. ultimo pag. 107. albo calculo defendit exemplo dignissimo. Quatenus nempe Icterus post quartanam usui corticis adscriptus, cortice continuato brevi & feliciter sublatus est. Conformis certe cum illa Thesi, quam ante octimestre in Dissertatione, cui Titulus: *de corticis usu à febre ad Icterum extenso* defendi.

Maxime vero attentum me reddiderunt, quæ in ultimo elegantis hujus opusculi folio, de *mixtione & temperatura corticis, cum sulphure minerali sedativo*, ET SALE PECULIARI FIXO, CUI IN TOTA RERUM NATURA PENETRATIONE, ABSTERSIONE ET RESOLUTIONE NIL EST SIMILE, profert. Cujus arcani descriptionem non obtorto adeo collo ad nostrum sal, quod primarium menstrui ingrediens est, trahere & applicare possum.

Quin imo plurima, quæ ab hoc Viro tam *in Helmont.* suo *Ecstatico*, quam *in Dissert. de Alkahest* scripta deprehenduntur, ita comparata sunt, ut quoad maximam partem cum nostri liquoris actione & materia collimare videantur, exceptis paucis, quæ hactenus non adeo absolute nobis vindicare volumus. Hinc prima vice, dum opusculum hoc perlegere cœperam, diu dubius hæsi, utrum Thema hujus nunc Dissertationis meæ prosequi, vel aliud substituere consultius sit. Sed cum de occultis judicari non possit, minima circumstantia sæpe rem variet, & unius rei prædicata plerumque in perplures alias quadrent atque cadant. in proposito, quod cœperam, perduravi.

Revertor, Martique subjungo *Jovem*, qui hactenus sub calcis, pulveris vel crystalli forma corpori nostro commissus, nunc ut oleum seu liquor propinari potest, & quidem sine spoliatione maximæ partis sulphuris sui, quod præcipuam efficaciam habere plurimi credunt.

Accedit hisce nova larva *Mercurii*, sub specie olei & sublimati albi non vero aperte corrosivi incedentis. Cujus vires tamen experiri Dominus Auctor hactenus nec ausus est, nec occasionem habuit.

Quibus tandem *Venerem* atque *Saturnum* in viscera corporis humani mittere consultum videtur, variationis gratia nunc & olea & tincturas, & flores illorum habeant, ceteroquin externe in chirurgicis varii usus.

Tantum de præparatis ex Metallis. Ubi adhuc subnecto, flores ex sublimatione metallorum cum oleis fere unius ejusdemque virtutis esse. Ceterum præter Mercurium & Saturnum metalla cum Sale Ammoniaco esse sublimabilia, jam ex *Hoffmann. Clav. Zwelffero*, *Mylio* aliisque constat.

Nunc

Nunc ducor quidem in ordine ad mineralia & objecta reliqua, ex quibus tamen potiora tantum tangam.

Occurrit *Cinnabaris Antimonii* atque *Nativa*, ut & ipsius *Antimonii crudi* integralis *solutio*.

Menstruum tale jam pridem chymicos in votis habuisse vel commendasse quis est, qui ignoret? Excell. *Frid. Hoffmann. in Exercitat. de Cinnabr. pag.* 117. ait: "*Quodsi menstruum datur talis modi, quod Cinnabarim nostram solvere possit sine destructione texturæ, medicamentum sane, exsurgere posse longe excellentius ipsâ Cinnabari non ibo inficias.*"

Deinde Paracelsus de *vita longa* Libr. III. Cap. IV. de Antimonio serio jubet: "*principio vide ne Antimonium corrumpatur, sed totum hoc, quantum est integrum maneat citra ullam mutationem formæ.*" & Helmontius *Tr. de magna vulnerum curat.* §. 154. de Antimonio declarat: "*quam diu in sua forma manet summas proprietates obtinet, quas in suis principiis nunquam assequitur.*" Formam vero internam subintelligere ex Tract. *Ignotus hydrops.* §. 40. patet. "*Observavi*, inquit, *si Antimonium in liquorem vertatur, & postmodum in pulverem, qui tantum per sudorem purget, haberi remedium, quod omnem hydropem modeste tollit.*" &c.

Hocque *remedium Stibii solutivi*, Mercurio suo diaphoretico & miraculoso proxime ad latus ponit l. c. §. subsequo. 49. Porro *Tr. de Arcanis Paracelsi p. m. 481.* Expresse tincturam *Lili* & Mercurium vitæ *Stibii prolem integri* appellat. Qua ratione non parum habet, quod sibi gratuletur de essentia suâ antimoniali & Cinnabarina Doctissimus *Cohausen*, quatenus integri Antimonii productum esse asserit, paucula enim, quæ in *Helmontii* sui *Ecstatici* Sect. II. pag. 86. & sequentibus de istiusmodi essentia atque tinctura profert lectu & imitatione, sunt dignissima.

Quantum vero chymico medicoque intersit Antimonium sulphure suo conjunctum vel spoliatum habere, facile perspiciet, si modo Excell. *Frid. Hoffmann. observ. Physico-chymic.* Lib. III. Observ. III. *de mirabili virtute Antimonii virul. & med.* legit. vel novam Cel. D. D. & Prof. *J. H. Schulzii* observationem de *regulo Antimonii medicinali* compen-

 dio-

diosissime & tutissime cum nitri purissimi part. I. & part. IV. Antimonii crudi sine sale communi præparandi modo, quam inseruit Saluberrimi *novi Commercii litterarii Norimbergensis ad rei medicæ & scientiæ naturalis incrementum &c.* Specim. *X. pag. 76. A. 1731. 7. Martii.* Addo ex discursu Exc. Dn. *Præsidis* me intellexisse pulveres illos, qui in Gallia hactenus, sub titulis *des poudres d'or & poudres de Bibal*, laudibus tantis evehuntur, etiam ex Antimonio, & quidem ejus sulphure præparari.

Marcasita post solutionem in lapidem oleumque redacta, hocque ope spiritus Melissæ, Lavendulæ, Anthos &c. in essentiam quasi redactum non minus erit cosmeticum ac magisterium ejus, quia constat, etiam per se spiritus ardentes cutem albidiorem reddere, solutæque particulæ Marcasitæ magis extenuatæ sunt. Fucus autem excellentioris gradus ex solutione Talci præparabitur. Cujus nullum hactenus vel ad summum unicum menstruum dari, in supra allegato *Novo illo Commercio litterario Norimbergensi*, Specim. III. A. 1731. pag. 22. Celeb. D. D. *Joh. Christoph. Gœzius* ex MS. chymico asserit, & talci oleum summis laudibus extollit. Quoniam vero solventem liquorem subticet, non ausim declarare, an cum nostro conveniat vel disconveniat. Ceterum non impossibile credo, nostrum Talci oleum in unctuosam & saponaceam substantiam transformari posse, præcipue si ejusdem *Commerc. Litter. Spec.* XI. pag. 14. Cel. D. D. *Geelhausen* animadversionem in modo notatam observ. Exc. D. D. *Gœzii* pondero, ubi menstruum tale pro Talci oleo sufficere asseritur, quod sulphureas ejus, ex quo potissimum constet, particulas solvit. &c. Ob confiniam materiæ tertium adjungo, quod certo respectu etiam cosmeticum dici potest. Scilicet tincturam sive oleum Lunæ capillos, cilias & supercilias nigerrimo colore tingere, dummodo post circumlinitionem pars tingenda à sole ad aliquod tempus irradietur, habet & constantiam istiusmodi tinctura & pictura capillorum, ita ut lotionibus & unctionibus non obstantibus ultra biennium perduret.

Transeo ad sulphur, quod in substantia interne optime exhibendum esse creditur, & balsamis ex illo præparatis vel ex hac ratione præfertur, quia illud solventia olea non adeo indiscriminatim conveniunt. Salificatum sulphur, i. e. explicante Cel. *Cohausen* salibus penetratum totumque

tumque ſolubile redditum, tanquam corporis noſtri ſumme mundificans dudum tentarunt Philoſophi, & felicem ejus poſſeſſorem in vindiciis ſemet declarat *Cnœffelius*, omnibusque medicis gratulatur, quibus adeo licet eſſe felicibus. Num ergo & noſtra ſulphuris ſolutio & præparatio ſulphur ſalibus penetratum vel ſalificatum dici poteſt?

De ſalibus nihil certi affirmare audeo, utrum tam diverſæ ſpecies poſt ſolutionem in lapidem oleumque redactæ, plus an vero minus efficaces reddantur, quia experientia mihi adhuc deficit.

Quod lapides pretioſos, cryſtallum aliosque concernit, *Adamantem* duritie & pulchritudine omnibus antecellentem, tamen vincibilem eſſe, nonſolum Helmontius Tr. *de Terra* §. 4. teſtatur; ſiquidem facilius reſolubilem in aquam illum declarat, quam arenæ ſpeciem, quam *quellem* vocat: Sed & *Fr. Baſilius Valent.* non obſcure Spiritui ſuo calcis vivæ eandem virtutem tribuit, parte V. **Von übernatürlichen und hochtheuren Wunder-Artzneyen/** p. m. 263. affirmans, omnes etiam duriſſimas Cryſtallos ope ejus eſſe ſolubiles. Item Paracelſus de igne gehennæ *Archidox. libr. 7. de ſpecificis* aſſerit, ſpecifico illi corroſivo neque adamantem reſiſtere poſſe. Arrogat hinc ſibi pauxillum gloriæ laurique ramulum liquor ſolvens noſter, quod etiam Adamantem ſolvit, licet forte nec Helmontii Alkaheſt, nec Paracelſi Ignis gehennæ, nec Baſilii ſpiritus calcis vivæ ſit, nec inde ſolutionis illius uſus medicus eluceſcat.

Majoris ſine dubio uſus forent reliquarum *Gemmarum*, item *Margaritarum, Coralliorum* &c. ſolutiones, ex quorum objectorum oleis, præter ſupra notatam methodum, facili nogotio in forma lactei liquoris *Gemmæ potabiles* exhiberi poſſunt, & ſuccedaneum forſan quoddam parari illius hodie adeo celebris *lactis perlarum* & *Margaritarum eſſentia.*

Supereſſent profecto tam de hiſce quam vegetabilis & animalis naturæ regni objectis proponenda perplurima: Nec non de igne ſplendidiſſimo & penetrantiſſimo Lapidum metallicorum, ſi ignitis crucibulis includuntur; (Cui analogi quid Cel. *Frid. Hoffmann. in obſerv. Phyſico-Chym.* ſupra notatis *Lib. III. obſ. I. pag. 260, cum Auripigmento &*

 ſale

ſale communi obſervavit :) Vel de ſale ipſo, ex quo liquor noſter conſtruitur, quodve per ſe fixum eſt, in eo tamen ab alkalium indole abludit, quod non in igne funditur, nec acida in ſiccam aut cryſtallinam conſiſtentiam, ſed in deliquidam coagulat &c. multifaria monenda: Verum enim vero hactenus recenſitis in tantum ſcopo meo ſatisfeciſſe arbitror, in quantum inde comparuit, non minus curioſa quam utilia hasce objectorum analyſes includere.

Quantum autem adhuc ad modum procedendi, ſolvendi objecta, & ad uſum medicum adaptandi attinet, Ignis auxilium & cooperatio neceſſaria pro ſolutione non adeo male verti poteſt, ſiquidem etiam Helmontii alkaheſt pro ſingulis ſolvendis, per triduum in balneo ſudare debuit.

Deinde Metalla nonniſi vel tenuiter bracteata, vel in ſubtilem ſcobem redacta Circulato ſuo committere ipſe Paracelſus jubet *Libr. Archidox. IV. de Magiſter. Metall.* eoque univerſalitatem menſtruorum non objectorum præparationes excludere aperte oſtendit.

Porro ibidem & *Libr. VI, de Reſuſcitatione rerum naturalium* Lunam, Martem, Venerem, Saturnum, Jovem & Mercurium potabilem, non alio menſtruo nec proceſſu aut Enchiriſi parari poſſe teſtatur, quam ipſum aurum potabile, & *Libr. IV. Archidox. Tit. de Quint. Eſſ. Metall.* cum metallis ita procedere ſuadet, ut poſt ſolutionem in aquam, illiusque abſtractionem, putrefactione oleum obtineatur, quod cum Alkohol vini digeſtum Q. E. Metall. vel Metalla potabilia conſtituat.

Dicit ulterius *Libr. III. de vita longa Cap. III. de Elix. Auri*: ſine corroſivo Aurum mortuum; ſed poſt ſolutionem corroſivum putrefactione abigendum eſſe, & admonet inſimul, "*non abhorreat animus ab illa tractandi ratione.*"

Pariter *Andreas Libavius Apocalypſi Hermet.* parte prior. Cap. xIx. Ex Chymicorum Litteris expreſſe docet, pro *Auro potabili vel corroſivum vel non corroſivum menſtruum requiri*: Illud vero, quod per corrodentia paratur Aurum potabile non *per ſe* venire in uſum Medicum &c. tandemque adjungit: "*Verum aurum potabile non prius fieri, niſi in lapidem ſolem rede-*

redegeris artificio suo, quod solis Philosophis notum est, à nullis descriptum,, &c.

Addo, quæ *Beccherus in Physic. Subterran. Lib. I. Sect. V. Cap. III. §. 62. de Spiritu Vini* profert: "*Eo usque*, scribens, *mortalium industria pervenit, ut aurum, omnium metallorum gravissimum, subtilissimo & volatilissimo spiritui vini adnectere possit, ut & simul evaporent, destillent, deflagrent, nulloque modo amplius præcipitari queant, cum spiritu vini nil subtilius reperiatur.* Et paulo post pergit: *Nam cum neque per acida, neque per urinosa præcipitari queat, dubium nullum est, quin in corpore humano cum spiritu suo vini subtilissimo ad cor & sanguinem elevetur.*,,

Adduxi vero hæcce allegata, ut ex horum collectione & ad menstruum nostrum applicatione facilius dispalescat, ubi & in quantum à via regia vel recedant, vel ad illam accedant, paucula illa tentamina.

Cæterum lubens fateor, paucissima ex amplo tot phænomenorum oceano me exhausisse, plurima ulteriori indagationi & alii tempori reservata esse. Nihilominus tamen, non ægre ferent, spero, Pyrotechnophili, si rem non absolutam, sed inchoatam tantum Eruditorum oculis subjicere ausus sum, id enim eò obtineri spes est, mea & intentio: ut quibus non sufficio, illa ingenio & occasione feliciores suppleant ac emendent. Deo verò T. O. M. pro concessis viribus sit Laus, Honor & Gloria in omne Seculum.

Nobilissimo Domino Candidato

S. P. D.

PRÆSES.

I, Bone, quo Tua Te virtus vocat, i pede fausto! Absolvisti alacriter vastissimum Medicinæ studium, ea felicitate, quæ Ingenium diligentia singulari excultum largissimè nunc coronat. Relinquis Academiam, ac peregrinis in

in Terris ulteriora Artis, jam ſolidè firmatæ quæris ſubſidia; Paterna feliciter premis veſtigia, cujus per omnem Europam Fama percrebuit dudum; hæcque Tibi Batavos inter, Anglosque, & Gallos aditum conciliabit ad Lumina Eruditi hujus Seculi facillimum. Noluiſti tamen valedicere Muſis noſtris, ſine publico Teſtimonio profectuum egregiorum, obtentaque doctorali, quam vocant, Licentia, imponendo Colophonem Studiis Inaugurali Diſputatione, exhibente vexatiſſimum Thema, Solventisque Univerſalis, cui Alkaheſt, ſplendidum priſca Chimicorum Schola nomen dedit, & genium, & Curioſum quoddam, plurimumque eò appropinquans ſpecimen, eò majori dignum attentione, quò Autorem agnoſcit difficillimis rebus efficiendis profunda, arduaque meditatione aptisſimum, Tibique vel ipſa oculi pupilla cariorem. Perge bonis avibus! Vaſtum eſt, quo decurris ſtadium, collige majores ſubinde apud Exteros flores, enchireſes, laborumque compendia; Dies, inter furnos etiam, diem docet. Selige ubique certa, ſolida, ac firma, relictis ſpecioſis, infucatisque multorum Ciniflonum ineptiis, ac inanium laborum mæandris, qui magno conatu nihil agentes vaſta promittunt, dum immenſa cavi ſpirant mendacia folles. Candor ac ſimplicitas ſolida artis præcepta ſemper indivulſo comitantur pede. Ita Vale, commendatus Clementiæ Divinæ.